



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XXXIX. Cur novissimi pares facti primis? Dominica
Septuagesimæ. Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti.
Matth. 20. v. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXXIX.

Cur novissimi pares facti primis?

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti. Matth. 20. v. 12.

§ 1.
Antiquitas prærogativa multarum litium matter.

Nveteratum hoc rationalis naturæ vitiūm est, ut quæ prior est tempore, potior jure & honore afferet esse, nec rabidiore æstuet Zelō, quām cùm antiquitatis præminentiam negligi & junioribus pares aut etiam majores honores decerni videt. Cur dæmon humānam tantopere infestetur creaturam, ut nulli industriae consilioque parcat, ad exitium ejusdem procurandum, causa præcipua videtur D. Basilio, quia cùm prærogativā ipse gaudeat antiquitatis, ferre non potest, ut humana sibi præferatur natura. verba Magni sunt: *postquam uidit diabolus hominem, parvum quidem animal, supra omnem creaturam honoratum, cùm esset antiquior homine, bunc ei honorem invidit.* Invidit & Cain Senior juniori Abelihonorem, quo sacrificium illius DEUS dignatus fuerat, cùm allambentem flammatum, à qua absumeretur charum munus, submisit; nec sopiri fraternum potuit odium ex propitia cœli flamma oratum, nisi innocentis sanguinis effusione. Cur Ismael Isaacum, Esau

Jacobum, fratres Josephum vatini-anō persequuntur odio, nisi quod majores natu cùm sint, minoren-nis nihilominus frater majoribus afficiatur honoribus & gratiis. Indignabantur discipuli Joannis Ba-ptistæ, quod majori in honore esset JESus suis cum discipulis quām ipsi, quibus tamen prærogativa antiquitatis præcellentiam faveret: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordānem cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat,* & omnes veniunt ad eum Joan. 3. v. 36. invidebant discipuli Joannis, inquit Abulensis, quod JESus qui noviter surgebat, excederet eum in fama & honore. at prudenter fuit Joannes, quām ut suorum querelis, vel jure prioritatis moveri posset. non enim habuit oculum & lingvam nequam, qualem hodierni murmurones, qui quod novissimos operarios pares sibi fieri, imò denario citius donari vide-rent, inviderunt, exarserunt, eru-pe-runt in querelas, murmurata, & seditionem: *hi novissimi unâ horâ fe-cerunt, & pares nobis illos fecisti?* at favete tantisper lingvis ô boni! placet causam nōesse, cur novissimi pares vobis fiant: & æquali donentur

Gg

de-

Problemata P. Philippi Hartung.

denario? causam triplicem fusiū edifferam, attendite.

S. 2.
Causa prima, cur parres primis novissimi, qui absque conventione labores suscepuntur.

Figura prima Paulus 1. Cor. 15. v. 9.

Placet ergo scire cur primis parres novissimi? *bi nullā conditā mercede ad laborem acceſſerunt*, inquit Gregorius Nazianzenus orat. in sanctum baptismum. Postulasset fortasse ordo, ut solutionis initium à primis desumeretur, verum ordinem bonus paterfamilias immutat, & novissimos ad remunerationem advocat, quia hi nullo mercedis patto & intuitu ad excolendam vineam convenerunt; qui autem sine spelucri, sine praetextu mercedis ad labores advolant ampliorem longè mercedem merentur. Novimus inter Apostolos fuit Paulus, meritis tamen par primis, quippe qui abundantius omnibus laborasse se scribit, quia ut ingeniosissime Pauli verba interpretatur Cæſarius, nullum unquam pro Apostolicis laboribus suis admisit stipendium, nullum intendit lucrum, nullum quæsivit emolumentum. propriis enim manibus viatum sibi meruit, nè aliorum eleemosynis, sicut ceteri Apostoli, vivitare cogerebatur, idcirco plus omnibus laboravit, & qui novissimus in ordine, primus in meritis fuit. Loquatur D. Cæſarius Paulinorum interpres verborum: *abundantiū illis omnibus laboravi. in hoc plus illis laboravit*, quia illi ex prædicatione viatum secundum Evangelium acciebant, Paulus non est usus bac potestate, sed labore manuum suarum vivebat. plus omnibus laborat, qui sine humano præmio laborat.

Figura Secunda Josue & Josias.

Prima Josue gloria & immortalis memoria facinus est, quod post plurimas labore & vigiliis partas victorias, post introductum in terram promissionis populum, post distributas provincias nihil sibi è triginta & supra regnis elegerit, nihil in usum & emolumentum familie

sue reservarit, prout ex c. 19. Josue liquet, dignus idcirco, qui Salvatoris typum gereret, dignus cuius imperio sol pareret, dignus quem nominis excellentia & majestas ipsi met Salvatori supparem faceret. *Quare perdivinus Josue*, querit Theodoreetus q. 17. in Jos. cum alii terram dispertiret, sibi non distribuit aliquam portionem? imitatus est in eo modestiam Domini, qui extremam expertus est inopiam, ita ut nec domum quidem habaret. ille Spiritu IESU agitur & nomine ejusdem dignus est, qui non spectato laborat præmio, ideoque duntaxat servit, ut serviat. Josue spiritum Josias imbibit, qui in omnibus operibus suis nullā seu temporaneā seu etiam æternā mercedis cupidine illectus, solum DEI obsequium integre spebat, nec Davidicum illud Symbolum usurpavit: *inclinavi cor meum ad faciendas justifications tuas in æternū propter retributionem*, sed propter divini nominis gloriam, quam solam præ oculis habuit, sive cum simulacra idolorum evertret, fana solo æquaret, popas occideret, ossa exureret, sive cum phase Domini tantâ solennitate ageret, ut dicat Scriptura: *neque factum est phase tale à diebus judicum, qui judicaverunt Israel & omnium dierum regum Israel & Juda*, sicut in octavo decimo anno regis Josiae factum est phase istud 4. Reg. 23. v. 21. idcirco licet inter novissimos reges esset, omnibus omnino antelatus, & incomparabilibus encomiis decoratus est. ibidem v. 25. similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi. grande profecto elogium, ex quo consummatam Josiae perfectionem suspicias & admireris. Est enim verd perfectissimo-

simorum DEI Servorum nota & insigne, nolle pro mercede pacisci, nec spe præmii moveri, sed solius divini obsequii & honoris agi desiderio. Isti sunt viri perfecti, inquit Salmeron, qui nihil pacisci volentes divinæ tantum Bonitati & Clemenciam confidunt: & isti digni fuerunt majus præmium accipere. Quemadmodum in domo Principum, qui familiariter in cubiculo Principis serviunt, nullum certum habent stipendum, sicut habent mulones & coqui, sed toti pendent ex voluntate & munificentia Domini: tales sunt viri novi testamenti, qui magnitudine charitatis DEI & multitudine beneficiorum Christi obruti, oculum claudunt ad quodcumque præmium sive æternum sive temporale; ita ut si (quod tamen fieri nequit) nullum futurum esset præmium, non propterea res maximas operari ipsi recusarent, & extrema quæque pati propter Christum haud formidarent. & hi dubio procul longè amplissimam consequuntur mercedem, et si pro eadem minimè pauci sint. Hæc in hodierni Evangelii interpretatione Salmeron.

terram promissionis, de prodigo
scribit Lucas, quod ultro se resolute-
rit ad redditum in domum pater-
nam. audiatur Moyses: *sicut aqui-
la provocans ad volandum pullos suos,*
*& super eos volitans expandit a-
las suas, & assumuit eum atque porta-
vit in humeris suis* Deut. 32. v. II.
portandus ergo erat populus in ter-
ram promissionis & grandibus al-
lici spebus debuit ne iter recusaret.
quid filius prodigus? audiamus lo-
quentem: *surgam & ibo ad patrem
meum & dicam ei: Pater peccavi in
caelum & coram te, jam non sum di-
gnus vocari filius tuus, fac me sicut
unum de mercenariis tuis.* dixit, nec
segniter egit: *surgens venit ad Pa-
trem suum.* non erat opus aquili-
nis portari prodigum humeris, ultro
ivit & vilissimis accenserit ver-
nulis voluit, ut conspectu Patris
frui denuo liceret. atque idcirco
vitulus illi, populo vero agnus in e-
populum assignatur, quia hic merce-
dem, ille ingenuum duntaxat obse-
quium attendit. Conceptus hic
mihi à Ruricio Episcopo insinuatus
est: *datur juniori reverso vitulus,*
*cum seniori agnus datus fuerit ex A-
egypto profecturo, quia ipse educit ex*
Aegypto Pater: portari necesse est
populum & educi à patre, ultro ad-
repere delestat filium; dignus pro-
inde ampliori est remuneratione,
cum remunerationem non specta-
verit, sed solo regi se siverit bene-
volentiae affectu. Observandum
insuper in prodigo est, quod licet
secum decreverit, in Mercenarii se
offerre obsequia, ubi tamen sub a-
spectum Patris venit & orationem
suam proposuit, nullam omnino
mercenarii fecit mentionem, sed a-
gnovit solum filii sese nomine un-
dequaque indignum. Cur in mer-
cenariorum Syllabum redigi non
postulavit? ne mercedis intuitu
paterna ambire obsequia videretur,

Ruric. I. 5.
epist. I.

§. 3.
Figura ter-
tia Israëlis
populus &
filius pro-
digus.

Cum Israëlitæ profectionem ex Ægypto parant, convivari jubentur & anniculum epulari agnum: tollat unusquisque agnum per familias & domos suas Exod. 12. v. 3. sufficere integræ familiæ Agnus debet unicus, at verò cum prodigis ad patrem revertitur, non agnus sed saginatus maestatur vitulus in unius filii gratiam: adducite vitulum saginatum, & manducemus & epulenkum, quia filius meus mortuus erat & revixit Luc. 15. v. 23. cur uni plus assignatur filio, quam copioso populo? diversitatis causam ex modo proficisciendi, quo usus est populus, & quo filius, desumamus. de populo inquit Moyses, quod velut aquilini pulli ab aquila deportatus sit in

quod servile fuisset; ad majora natu-
tus est filius, quām ut stipendia pa-
ciscatur, satis illi gratiarum erit, si in
domo paterna inter vilissimos me-
diastinos agere sinatur. ò animum
ingenuum! ò dignum non uno sa-
ginato vitulo sed toto grege & hæ-
reditate filium! Praeclarè D. Augu-
stinus: *non addit, quod in illa medi-
tatione dixerat: fac me sicut unum de
mercenariis tuis, cùmenim panem non
haberet, vel mercenarius esse cupie-
bat, quod post osculum patris genero-
fissimè jam dēdignat⁹.* nobilem ex
paterno osculo imbibit spiritum,
quo plenus dēdignatur mercenari-
orum officium, sed ingenuo servire
animo absque mercedis respetu
constituit. *Illi sufficit Pater* inquit
Chrysologus Serm. 4. ideoque di-
gnus redditur, qui non mercenari-
orum stipendio, sed integrâ done-
tur Patris hæritate.

S. Aug. in
q. Evan.
gcl. l. 2.
q. 33.

§. 4.
Figura A-
bel & E-
noch.

S. Paulus Hebr. II. v. 4. & 5.
laudat præ omnibus Legis veteris
heroibus duos innocentissimos in
lege naturæ Agnellos an Angelos?
Abelem & Henoch: *fide Abel pluri-
mam hostiam quām Cain obtulit
Deo: fide Henoch translatus est, nè
videret mortem.* Intervenit Mag-
nus Pauli discipulus Joannes
Chrysostomus h̄ic, & quærerit: uter
plus DEum dilexerit Abel an Enoch?
& definit pro Enoch: *majo-
rem iste, quām Abeli fidem ostendit, sed
quare majorem ò Doctor auree?*
quia nihil illi retributum erat. Nun-
quam favorem extraordinarium
DEus exhibuit Henoco, at verò
Abeli. nam. Gen. c. & v. 4. *respxit
dominus ad Abel*, vel, ut legit Theodo-
tion: *inflammavit Dominus su-
per Abel*, hæc illi gratia sufficere
poterat ad DEUM intensissimè a-
mandum, ideoque magnum non
erat DEum ab Abel amari; atverò
nullum emolumentum habuit E-

noch, nullum indicium, quod sua
DEo opera arriderent.

Difficilia sunt illa Psaltis verba
Ps. 17. v. 45. *populus, quem non cognovi, servivit mihi*, quis ille populus,
qui DEi quodammodo fugit cognitionem? respondet S. Bernardus
Ser. 40. ex parvis: quatuor esse
genera creaturarum, aliæ cognoscunt DEum & cognoscuntur à DEo;
quales sunt Angeli & homines abundantes divitiis simul ac
virtutibus, aliæ nec cognoscunt DEum nec cognoscuntur à DEo,
sunt mendici, ægri, & omnes illi
miseri, qui in miseriis suis DEUM
non invocant, imò blasphemant. alii
cognoscunt DEum sed non co-
gnoscuntur à DEo, sunt pauperes &
ægroti conformes voluntati divinae:
alii non cognoscunt DEum sed
cognoscuntur à DEo, sunt divites
avari. Ex his quatuor generibus
illī laudem referunt, qui non cognoscunt & cognoscunt, premuntur
& non murmurant, dejiciuntur &
non desperant, in medio tribulationum amant, observant, magnificant DEum. Populus quem non
cognovi, servivit mihi: *non esset magnæ perfectionis, si populus à DEo
cognitus serviret illi, cùm verò inco-
gnitus illi serviat*, & in auditu auris
obediat, magna laudi adscribendum
est. Ità Bernardus non est magnæ
laudis proposita mercede & gaudio
servire Domino, cui propter priora
beneficia & benevolentiae indicia
bene cognitus es, at verò absque
spe mercedis Dominovix benè co-
gnito totâ sedulitate servire, hic la-
bor, hoc opus plurimâ mercede
dignissimum est.

Quærerit Chrysostomus, quod
opus magis sit præmio & laude di-
gnum, dare Christo aspectabiliter
comparenti eleemosynam, an verò
eandem pauperi, amore Christi, ex-
hibere? ridebit fortè aliquis hanc
qua-

quæſtionem Chrysostomi. quis non excellentius judicet, Christum domiſuā recipere, cibare, potare, veſtire, dormienti advigilare, quām ſordido mendicabulo æternis fortatſe ignibus deputato eadem præſtare obſequia? At contrariæ mentis est Doctor aureus: *non eſt & quale iſum Dominum præſentem alere, cuius præſentia vel lapideum ad ſe animum attraberet, & propter ejus verba duntaxat pauperes & mendicos alere, quippe tunc etiam iſpa facies & dignitas præſentis, quacum videatur, parturit quod facies, modò autem universe hæ liberalitates & misericordiae, tuæ ſunt.* Ità Chrysostomus hom. 89. in Matth. Nimirum qui Christum videt, mercede jam donatus est, qui verò ignotum ingratumque pauperem Christi amore fuſcipit ac fovet, exquisiti amoris ſui præſtet hoſtimentum.

Quærerit Hugo Cardinalis in Matth. 19. cur ſolis Apoſtoliſis dicatur: *Vos qui ſecuti eſtis me, cùm tamen Joannes dicat: ſequebatur eum multitudo magna?* nimirum non ſequebantur Christum propter Christum, ſed propter ſe, & hi non cenſentur ſequi. verus amor non eſt lucravidus. *Qui diligunt, eliguntur* inquit. Auguſtinus tr. 76. in Joan. hoc eſt, qui ideo amant ut ament, hi unicè amantur.

Notatu dignum eſt, quodd in lege veteri aſinus exclusus ſit ſacrificio: *primogenitum aſini mutabis ove; quodſi non redemeris, interficies* Ex. c. & v. 13. cur aſinus & non bos reprobatur! acutissimè respondit Basilius Magnus in c. 1. Iſai. Bos cognovit poſſefforem ſuum & aſinus præſepe Domini v. 3. ecce ratio diſparitatis: bos agnouit Domi-num, aſin⁹ non dominum, ſed præſepe, ſed pabulum, ſed emolumen-tum proprium. non veniat ad tem-plum ad ſacrificium ad altare aſi-

nus, quia non poſſefforem ſed præſepe duntaxat respicit, & typum eorum repræſentat, qui nec pedem move-re dignantur, niſi for-midine poenæ coactis aut cupidine mercedis illeſti. Aſini & bovis cùm memini, vaccæ Bethſamiticæ occurruunt, quæ Arcam Domini fe-rentes, ſinè ambagibus & erroribus terram Iſrael tenent, ut videre eſt I. Reg. 6. quam tamen terram Israelitaē per annos quadraginta invenire non potuerunt. nimirum ſuas duntaxat delicias, divitias & commodi-tates in terra melliflua attenderunt Hebræi, at verò vaccæ ſub jugo Arcaē poſitæ non niſi obſequiis Domini ſerviebant, hinc illis recta in terram promiſſionis via. Citiūs & fa-ciliūs æternæ beatitudinis patriam tenent, qui patriam non querunt, ſed ſolo DEI ſpiritu regi ſe finunt, nec niſi obſequium Domini ſui in omnibus respiciunt.

Cur paradiſum eo ipſo die La-tro dexter conſequitur, quo con-verti ad Christum incipit, & gratio-fam ſui memoriam morienti Do-mino commendat: *Domine me-mento mei, cùm veneſis in regnum tu-um?* non petit regnum, non exigit ſtipendium, non paciſcitur de mer-cede, non exaggerat obſequium ſu-um, quod encomiaſten Christi ege-rit, cùm iſ ab universo populo ride-retur, vexaretur, interficeretur, ſed memoriam duntaxat ſui haberiro-gat, dignus profeſtō, qui plusquam ſperare aut petere poſſit, mox con-sequatur, & eo adhuc die tranſeat in paradiſum: *bodie mecum eris in pa-radiſo.* hodie merentur eſſe cum Christo in paradiſo, qui ab hac hora & momento in Domini vinea ad ex-tremum uſque ſpiritum laborare volunt absque præmio.

Habetis ò murmurones im-probi cauſam ſufficientiſſimam, cur pares vobis noviſſimi, quia nullā

§. 6.
Figura 6.
Latro dex-
ter.

§. 7.
Cauſa ſe-
cunda, cur
noviſſimi
con-

pares pri-
mis.

S. Chry-
soft. hom.
5. ad Rom.

S. Bern.
Ser. I. in
Cant.

conditâ mercede ad laborem ac-
cesserunt , quâ si & vos mente ac-
cessissetis,dubitare non ausim,lon-
gè copiosiorem mercedem vestram
futuram fuisse. *Major tibi merces,*
si citra mercedis spem feceris. Pla-
cet scire causam aliam,cur pares vo-
bis primis novissimi? ex vestris e-
am verbis desumo vestrâque vos
lingvâ jugulo ; quid loquimini ? *bi*
unâ horâ fecerunt: quid sibi vult
quod fecisse potius quâm laborâsse
dicantur? nimirum fecerunt opus
imperfectum & plus horâ unâ quâm
vos die integrâ peregerunt. *fece-*
runt non laborârunt, quia amore
ducti vineam excoluerunt, *ubi au-*
tem amor est, labor non est. fecerunt
tantâ accurratione , quasi sacrificium
litarent, facere enim idem ac sacri-
ficare est.

O quâni verum est , quod D. Hieronymus ad Paulinum scripsit : *subitus calor longum vincit temporem.* Paulus Apostolus de persecutione mutatus, *novissimus in ordine, primus in* meritis est , quia extremus licet, plus omnibus laboravit. Hi novissimi unâ horâ fecerunt. Etvostotâ die laborantes nihil fecistis , quia osci-
tanter labori manus admovistis, to-
tisque in sinum easdem revocâstis,
ut satius fuisset facere nihil, quâm
facere opus DEi negligenter. Melius fecisset Cain si sacrificio absti-
nuisset, quâm quod de frugibus ter-
ræ deterioribus obtulerit, melius
fecisset Saul, si viâmas non litâ-
set, quâm quod in Sacerdotis offi-
cium se sacrilegè ingesserit , in hoc
enim, ut ait Abulensis, nullum DEO
cultum exhibebat. melius fecisset
Pharisæus , si in templum non af-
cendisset, nec orationem illam suam
magniloquam ebuccinâset , quâm
quod malè orando peior quâm a-
scenderat, descenderit ex templo, &
oratio fuerit illi in peccatum. meli-
us fecisset intempestivus ille propi-

nator, si haustum Christo crucifixo
non obtulisset, quâm quod spongi-
am aceto plenam obtulerit , noluit
indelibare JESUS, nè putaret satel-
les, quod grande aliquod præstis-
set obsequium; *respuit fel* (inquit
de Christo Augustinus) *jejunare e-*
legit, quâm amaritudinem accipere,
melius fecissent Pharisæi , si pro je-
junio frugalibus indulsissent epulis,
quâm quod inanem inde gloriam
captando martyres fuerint & vi-
tiae dæmoniorum. Jeremiæ 4. in-
vitat Dominus perversos ad seriam
conversionem : *Si reverteris Isra-*
el, ad me convertere. hoc est juxta
Osorii interpretationem : si ad DE-
um tibi revertendum, redi seriò, ex
animo, fervide, melius enim est ni-
hil facere, quâm itâ frigidè facere, ut
nihil efficias. Magis ille à DEO re-
cedit, qui non seriò accedit. Inge-
niösè id observavit S. Anselmus in
Petro, qui Christum quidem seque-
batur, sed à longè Matth. 26. melius
facturus, si prorsus emansisset. ut
ostenderet ergo dominus, quâm pa-
rùm frigida ejusmodi probaret ob-
sequia, permisit ad ignem congelari
Petrum & majoribus obrui ma-
lis, quâm illi obruti fuerint, qui tem-
pori aufugerant.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt,
non est hoc vituperium sed enco-
mium novissimorum , quod plus
horâ unâ operati sint, quâm opera-
rii iniquitatis die totâ. Non est in
familia coelestis Patrisfamilias alia
antiquitas quâm meritorum : ille
senior , qui intrâ spatium assignati
laboris est accurrior. Ex omnibus
antecessoribus Abrahami nemo vo-
catur senex, sed hic Senis titulus A-
brahamo primûm datus reperitur
Gen. 18. v. ii. ubi de patriarcha &
conjuge ejus itâ scribitur: *erant*
ambo senes pro ueraque etatis. lon-
gè senior erat Lamech quingento-
rum nonaginta quinque annorum,
&

§. 8.
ille cen-
sus est
in Vinea
Domini
prior, qui
virtute
praefun-
tior.

& tamen senex non appellatur. La-
mecho senior erat Malaleel octin-
gentorum sexaginta quinque anno-
rum & tamen senex non appella-
tur: senior hoc erat Enoch non
gentotum quinque, Cainan non
gentorum decem, Seth nongento-
rum duodecim annorum & tamen
senes non appellantur: supcravit
omnes Mathusalem nongentorum
sexaginta novem annorum & ta-
men senex non appellatur, Abra-
hamum primum scriptura nominat
seniorem (verba Philonis Alexan-
drini, de Abrah.) etsi is teste scrip-
turâ non nisi centum septuaginta
quinque annos vixerit: fuerunt di-
es vitæ Abrabæ centum septuaginta
quinque anni Gen. 25. v. 7. nam re-
vera senior non ex longitudine tem-
poris sed ex laudata vita putatur.
siquidem, qui multum ætatis in
tempore vixerunt sine probitate,
longævi pueri dicendi sunt. Hæc
ille. Facit huc quod S. Ignatius
Martyr epist. 6. scripsit: non an-
nos continuò sapientes sunt, nec se-
nes intelligentiam possident, sed
spiritus, qui in hominibus est. Sa-
muel parvulus Heli nonagenarium
reprehendit, similiter Jeremias au-
dit à DEo: nè dicas junior sum. a-
dolescentia igitur non est contem-
nenda, quoties DEO consecrata fu-
erit, verum is contempnendus est,
qui improbo est animo, tametsi
multorum dierum tempore plenus
sit. Hucusque Ignatius, ex quo
addiderim: non ergo contemnen-
di, qui novissimâ horâ fecerunt, sed
qui totâ die nihil profecerunt. Em-
blema non inelegans in suis hexa-
meris Eustathius affert de amygdalo
& moro: floret prima omnium a-
mygdalus, postremque pomum matu-
rat, Moritardè germinant, tamen in
fructu ferendo non sunt aliis posteri-
ores. non est ergo totalaus & felici-
tas, quod prior in vineam veneris,

nisi & prævenoris labore & fructu.
Ignarissimorum quorundam homi-
nūm consuetudo est, ut, cùm inter vi-
tias senerint, nullique pares sint, solā
se præferant senectute inquit Fran-
ciscus Petrarcha. non curabantur
ad piscinam probaticam, qui citius
ad eam jacuissent, suspirassent, ex-
pectassent, sed qui prior descendisset
in piscinam post motionem aquæ Joan.
s. v. 4. quare sanabatur prior?
quærerit Hugo Cardinalis & respon-
det, ut hoc doceretur exemplo, pa-
rum juvare in vinea & familia DEi
prioritatem temporis, nisi accedat
& prioritas laboris atque virtutis.
prævenit Joannes Christum, Vox
præcedit Verbum, sed ut loquitur
Chrysologus serm. 137. præcedit non
præcessit. præcesserunt Joannem a-
lli Patriarchæ & Prophetæ, quibus
tamen omnibus judicio Salvatoris
ipse antelatus est: Amen dico
vobis, non surrexit inter natos mu-
lierum major Joanne Baptista Matth.
11. v. 11. quia etsi plures eo labora-
verunt diutius, inquit Algerus l. 2.
de Sacram. altar. c. 7. nemo ferven-
tiùs & purius. præcelleret solem
rubus, filix lunam, si sola antiquitas
spectaretur: anterior rubus quam
sol, inquit acutè Ambrosius l. 4. he-
xamer. c. 1. antiquior herba quam lu-
na. at præcedit tempore, non
præcellit virtute, non annis sed
meritis dimetienda est antiquitas,
ille senior annis qui potior me-
ritis.

Nihil proinde mirum, si novis-
imi tempore potiores sint apud
Patrem familias remunerationis ju-
re, quia labore & meritis fuere præ-
cellentiores. Addamus breviter
& causam tertiam, cur novissimi ad
vineam primi vocati fuerint ad co-
ronam, quia magnam præsetulerunt
patientiam & longanimitatem,
cùm totâ die expectarent, à
quo in vineam conducerentur.

Cau-

Petrarch.
Inveft. in
Medic. l. 1.

§. 9.
Causa ter-
tia, quia
tamdi ex-
peccarunt
Evocante
Patrem fa-
milias.

Causam hanc invenit ingeniosissimus Origenes homil. 10. in Matth. in hæc verba: magnam excusationem habuerunt ad hoc, ut digni efficerentur totius diei mercede secundum quod excusaverunt seipso dicentes: nemo nos conduxit, propter quod & Paterfamilias libenter conduxit eos, & ut ita dicam, reddidit eis mercedem, pro eo quod magnanimiter totâ die steterunt & expectaverunt usque ad vesperam conductorem. Hæc ex Origene.

Magnanimæ virtutis opus est expectare vocantem DEum, nec se in labores & munia Apostolica ingenerere, priusquam vocet & annuat Spiritus, hoc enim est sustinere Dominum quod generosi cordis & maturæ virtutis indicium iudicat Psaltes? *viriliter age, confortetur cor tuum & sustine Dominum.* Poterat Joannes Baptista divinam suam prædicationē anno vicefimo quarto ætatis inchoare, tricesimum nihilominus expectavit, donec Verbum Domini (*præceptum intelligit S. Chrysostomus homil. 10. in Matth.*) super eum fieret: *fatum est verbum Domini super Joannem* Luc. 2. v. 2. hæc verba clarè ostendunt (inquit Titus Bostrensis) Joannem ad Baptismi & verbi ministerium se non ingessisse, sed à DEo vocatum & misum fuisse. expectavit Joannes, dum ad prædicandi laborem evocaretur, cui unica fuerat voluptas ac desiderium, citò Vocem agere Verbi, & poenitentiam populis prædicare. Et quamvis in ætate virili Joannes prædicare primū jubetur, Samuel verò poene infans ad enunciandum DEi verbum mittatur, non tamen majorem idcirco Samuelem dixeris, quod citius diutiúsque, sed Joannem omni exceptione majorem duces, quodd ferventiùs idem prædicandi munus obierit.

Poterat & Salvator ab anno ætatis duodecimo, quo magistrale sapientiae suæ specimen inter Doctores Solymis dederat, docendi officium auspicari, initium tamen prius non fecit, quām publicâ Patris cœlestis voce Doctor orbis utriusque renuntiaretur, cùm baptisme in Jordane suscepto vox de nube illaberetur: *bic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* (vel ut D. Cyprianus legit l. 2. de baptism. *in quo bene sensi*) *ipsum audite.*

Matth. 3.
v. 17.

Poterat Virginæ Verbi Mater, si dicere ad populum sineretur, admirandos animorum ciere motus, morūque conversiones facere incredibiles, at quia ad prædicandi munus non vocatur, honorem sibi ipsa non sumit, sed novissimo contentaloco, Ancillam se gerit, digna vel ideo super omnium Cherubinorum capita elevari, quæ silendo plus meruit, quām Apostolicæ omnes Angelicæ que lingvæ loquendo. Nimirum majoris meriti est, nihil agere, cùm sic vult DEus, quām omnia agere & mundum universum lucrari præter DEi voluntatem. Sint proinde novissimi operarii pares primis, quia expectando labore plus silentio & spe, ex Origenis sententia, meruerunt, quām qui primi ad labores sunt admissi.

Coronemus problema & murmuribus operariis auroram, flores, fumos faveamus, novissimis verò solem, fructum, ignem. prior ignefumus est, flos fructu, aurora sole, non tamen idcirco præstantior, sed ex lemmate aureo Chrysologus: *precedit non præcellit.* qui præcellere vult, gaudeat novissimus videri, dummodo cum hodiernis novissimis plus faciat horā, quām primi die integrā. Nescio cur novissimi tantopere placeant antiquo dierum! novissimus inter filios Jacobi Benjamin est, & plus ceteris dilig-

diligitur; de novissima Beniamini tribu Saul est, & in Protoregem Israe-
lis inungitur; novissimus inter
fratres David est, & ad sceptrum e-
levatur; novissimus Davidis filius
Salomon est, & regni hæres duode-
cimo ætatis anno declaratur; no-
vissimus Apostolorum Paulus est,
& plus omnibus laborando mere-
tur. novissima in Apostolorum
confessu in monte Sion MARIA

Virgo est, & parem non habet, nè
primis quidem ex ordinibus Ange-
lorum. Novissimus virorum MA-
RIAE Filius est, & hic principium &
finis, princeps Regum terræ, pri-
mogenitus omnis creaturæ, ex quo
disce: *primus ut sis, novissi-
mus esto.*

Coloff. I.
v. 15.



PROBLEMA XL.

Cur tertiam seminis sui partem perire sinat cœ-
lestis Agricola.

DOMINICA SEXA- GESIMÆ.

Exiit, qui seminat seminare semen suum.

Lucæ 8. v. 5.

S. I.
Brevicula
parabolæ
expositio.

Emerarius sit, qui ali-
ter evangelicam ex-
plicare præsumat pa-
rabolam, quām cœ-
lestis ipse met Magi-
ster exposuerit. Ca-
vendum est, monet in c. 15. Matthæi
Hieronymus, nè vel aliud vel plus
velimus intelligere, quām ab ipso ex-
positum est. Seminator Christus est
ut Beda docuit: *Seminatorem istum
nullum melius quām Filium DEi in-
telligere possumus, qui de sinu Patris
egressus est.* Seminavit ab orbe con-
dito in cordibus hominum semen
suum, dum lumen illis naturale in-
didit ad dignoscenda vera à falsis,
æterna à caducis, utilia à noxiis, nec
cessat hac & omni horâ per inspi-
rationes internas, monita externa,

per leges ecclesiasticas & civiles, per
beneficia & flagella seminare semen
bonum doctrinæ suæ, quæ nos de-
clinare à malo, & bonum jubet ope-
rari. Exiit hic Seminator, unde
quæsto & quod? *unde exiit* (quærit
S. Chrysostomus homil. 45. in
Matth.) qui ubique præsens est? qui
omnia replet? aut qualiternam exiit?
certè non loco sed habitudine, atque
Incarnationis dispensatione propin-
quior nobis factus. Seminavit Fili-
us (inquit D. Bernardus) ipse est e-
nīm, qui exiit seminare semen suum.

Bern. serm.
de S. Be-
nedict.

Pater non exiit, sed Filius à Patre
processit & venit in mundum, ut
qui priùs erat cogitatio pacis in cor-
de Patris, fieret & ipsepax nostra in
utero Matris. Exiit quodammodo
ex seipso, dum urgente vi amoris in
ama-

H h

Problemata P. Philippi Hartung.